



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xij. De Gradibus cognationum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

perstite alias nuptias experiri A potest: quod & supra nos sci-  
mus docuisse<sup>a</sup>.

DE CONVERSIONE  
coniugatorum,

TITVLVS XII.

**E**T si religionis causa semper  
& vbiq; præcipua sit, non  
tamē sic ei fauent iura Pon-  
tificia, vt matrimonia legitimè  
contracta altero coniugum in-  
vito hac causa dirimi cōcedant:  
neq; enim vult Deus tale lucrū  
cum tali dispendio compēsare.  
Quare si coniugum alter sine  
alterius consensu religionem  
fuerit ingressus, poterit ab al-  
tero ad thori consortiū retrahi,  
nec tamen matrimonio alteri-  
us morte soluto ad monasteriū  
redire compelletur, quamvis in  
cælibatu eum posthac viuere  
oporteat<sup>b</sup>. Sed & si vir con-  
sensu per metum, vel dolum ab  
vxore extorto, religioni se de-  
vouisset, vxori petenti esset ni-  
hilo minùs restituendus<sup>c</sup>: si ta-  
men carnis copula inter coniu-  
ges nondū intercesserit, quam-  
vis præsentibus verbis matri-  
monium esset contractū, pote-  
rit coniugum alter etiam altero  
invito ad monasteriū transire,  
& alter in seculo remanens etiā  
alteris nuptijs operam dare, si  
continentiam monitus non ser-  
uarit, cum nondum vna caro  
effecti essent<sup>d</sup>. Sed ne hoc  
veluti commento oportuno ad

nuptias deludendas post iam  
præstitum consensum abvtan-  
tur, erunt partes Episcopi certū  
terminum cautione idonea re-  
cepta præfigere illi, qui à matri-  
monio ad monasterium transi-  
re se velle dixerit, intra quem  
vel religionem ingrediatur, vel  
in coniugio constans sit<sup>e</sup>. Po-  
terunt etiam post confirmatum  
& consumatum iam matrimo-  
nium coniuges pariter concor-  
des monasterio se dicare, vel al-  
ter eorum altero continentiam  
vouēte, cum suspicio nulla sub-  
esset, ne integrè eam esset serua-  
turus<sup>f</sup>. Vnus est casus, quo, vel  
renitēte vxore, maritus se religi-  
oni addicere potest, cū videlicet  
vxor adulterij rea est etiam sub  
matrimonij specie contracti<sup>g</sup>.

DE GRADIBVS CO-  
gnationum,

TITVLVS XIII.

**N**unc videamus, quemad-  
modum gradus cognati-  
onis naturalis numeren-  
tur, & primū admonendi fu-  
mus, Cognationem aliam su-  
prā numerari, aliam infrā, aliam  
ex transverso. Superior co-  
gnatio est, parentum: hoc enim  
vocabulo generaliter oēs ap-  
pellare licet, qui per directam  
lineam ascendunt, quocunque  
personis seu gradibus à me di-  
stent. Inferior cognatio, est  
liberorū: quæ vox omnes con-  
tinet, quicunque à me descen-

<sup>a</sup> supra de ma-  
trimo.

<sup>b</sup> e. quidam in-  
travit.

<sup>c</sup> accedens,  
ubi Ab.

<sup>d</sup> ca. 2.

<sup>e</sup> c. ex publico.

<sup>f</sup> ca. cum sis.

<sup>g</sup> c. cōstitutus.



dunt, quotuscumq; gradus inter me & ipsos interiectus sit.

Ex transverso autem cognati sunt, qui cum à parentibus meis & ipsi orientur, in me tamen non influunt, neq; ego in illos, sed aliorum deflectunt, à linea discedentes, quæ ex me perpetuanda est: vel uti, gratia exempli, Frater mihi transversalis est: nam etsi ab eodem patre ortus sit, à quo ego, alium tamen cursum à me tenet: in me enim non influit, nec item ego in illum, & alia ab eo linea ducenda est, alia à me. Sic Patruelis frater, vel consobrinus, eundem quem & ego, avum referunt, sed diuersis tamen riuus ab eo descendimus, cum diuersis patribus ori simus: quæ exempla in his duabus speciebus posita, ad multas alias transferri possunt.

Contrà parentes linea recta nullis flexionibus in me decurrunt: nam ab avum in proavum, usque in avum, qui avum in patrem, & pater demum in me influit. Quæ ratio pariter in descendentes constituenda est, quotcunque in lineas, vel riuos se diuidant. Inter hos igitur perpetua prohibitio matrimonij est, etsi in alias atque alias stirpes in infinitum essent propagati. Quocirca haud male sentiunt, qui tradiderunt, Adamo illi primo totius humani generis parenti, si hodie

ageret in humanis, nullum re-  
pertum iri muherem, quæ citra  
violatæ legis pœnâ illi nubere  
posset: à quo tamē, quis nescit,  
quot, quamq; sæpe propagatis  
& multiplicatis stirpibus de-  
ducti simus?

Gradus autem hoc modo  
secundum ius nostrum nume-  
rantur:

Primo gradu Suprà sunt, Pa-  
ter, Mater: Infrà, filius, filia:  
Ex transverso, frater, soror: quã-  
vis secundum leges ciuiles, frater  
& soror, in secundo gradu lo-  
centur, & Iustinianus Impera-  
tor docuerit, lineam, quæ ex  
transverso ducitur, à secundo  
gradu, scilicet Fratris & Soro-  
ris, incipere<sup>a</sup>.

Secundo gradu Suprà sunt,  
Auus, auia. Infrà, nepos, neptis:  
Ex transverso, fratris, sororisve  
filius, vel filia: & convenienter,  
patruus, amita: auunculus, ma-  
tertera: frater patruelis, vel ami-  
tinus: soror patruelis, vel ami-  
tina: Consobrinus, consobrina.

Tertio gradu Suprà sunt, Pro-  
auus, Proauia: Infrà, Pronepos,  
pronoptis: Ex transverso, pa-  
truus magnus, amita magna:  
auunculus magnus, matertera  
magna: propior sobrinus, pro-  
pior sobrina, & eorum filius, &  
filia: fratris patruelis, vel ami-  
tini, sororis patruelis, vel ami-  
tinæ, item consobrini, vel con-  
sobrinæ filius, filia: fratrisque,  
vel sororis, nepos, vel neptis.

Quarto

<sup>a</sup> Inst. eo. c.  
l. i. in prin.  
ff. co.



Quarto gradu Suprà, abauus, A  
 abauia: Infrà, abnepos, abne-  
 ptis: Ex transverso, propatruus,  
 proamita: proauunculus, pro-  
 matertera, & eorum filij & filie,  
 nepotes & neptes, pronepotes  
 & proneptes: item propioris so-  
 brini, & propioris sobrinæ ne-  
 pos, neptis: item fratris patrue-  
 lis, vel amitini, sororis patrue-  
 lis, vel amitinæ, consobrini, vel  
 cōsobrinæ nepos, neptis: & de-  
 mum fratris & sororis prone-  
 pos, & proneptis.

Et hæc vsque ad quartum gra-  
 dum tradi disse sufficiat: nã cum  
 hodie vsque ad quartum gradū  
 duntaxat nuptiæ prohibeantur,  
 nihil attinet hoc loco vltio-  
 res gradus cognoscere.

Sed quò vnusquisque per se  
 discat has computationes gra-  
 duum inire, hoc præceptum ge-  
 nerale ei tenendū est, Vt in sub-  
 ducendo ascendentium & de-  
 scendentium calculo tot gradus  
 censeantur, quot intercesserint  
 personæ vna dēpta: veluti, gra-  
 tia exempli, à me ad abauum,  
 quinque personæ numerantur:  
 Ego, Pater, auus, proauus, aba-  
 uus. Hic igitur inter me & aba-  
 uum quatuor gradus recense-  
 buntur. In transversalibus ve-  
 rò hæc sit regula generalis, Vt  
 quisque ex collateralibus meis  
 tot gradibus à me distare dica-  
 tur, quot gradibus à stipite is di-  
 ster ex nobis, qui ab ipso stipite  
 remotior est: quare si ego stipiti

duobus gradibus vicinus sim,  
 tu ab eodem stipite quatuor gra-  
 dibus absis, quarto gradu mihi  
 eris coniunctus: at si neuter al-  
 tero longiùs à stipite absit, tot  
 gradus inter nos cognationis  
 referentur, quot nostrum vter-  
 vis ab eodem stipite remotus  
 est.

Suprà dictorum autem voca-  
 bulorum significatio hæc est.

Patruus, dicitur frater patris.

Amita, est matris soror. Au-  
 uunculus, frater matris. Ma-  
 tertera, soror matris. Fratres  
 patruales dicuntur, qui ex duo-  
 bus fratribus nati sunt, quem-  
 admodum & Sorores patruales.  
 Fratres amitini, vel soro-  
 res amitinæ sunt, qui, quæve ex  
 fratre & sorore sunt orti, vel or-  
 tæ. Consobrini, qui ex dua-  
 bus sororibus. Patruus ma-  
 gnus, Amita magna sunt, aui fra-  
 ter & soror. Auunculus ma-  
 gnus, matertera magna, sunt a-  
 uiæ frater & soror. Propior  
 sobrinus, Propior sobrina dicū-  
 tur, filij & filia ex patruo ma-  
 gno, amita magna, & auuncu-  
 lo magno, & matertera magna.

Propatruus, Proamita dicun-  
 tur proaui frater & soror: proa-  
 uunculus, promatertera, proa-  
 uiæ frater & soror.

DE GRADIBVS, ET  
 generibus affinitatis,

TITVLVS XIII.  
 Nn

*a* *si ubi gl.*  
*de consan.*  
*& affia.*